

ricus praefectus de Donin, Albertus praefectus de Aldenburg, Meinherus praefectus de Misna, Albertus praefectus de Dewin, Wolfuinus praefectus de Cice, Theodoricus praefectus de Kirchberch, Sifridus praefectus de Lizenic, Hermannus de Sconenburch et alii quam plures. Acta sunt haec omnia in Misna anno ab incarnatione domini millesimo ducentesimo vicesimo quarto.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem wohlerhaltenen Siegel des Abts Ludeger an einem Pergamentstreifen.

No. 99. 1225.

*B. Ekehard zu Merseburg und Poppo, Probst zu Neuwerk bei Halle, bearkunden als päbstl. Commissarien, dass der Streit des B. Bruno mit dem Deutschen Orden wegen Porstendorf, dem Erbeigen Bruno's, wo dieser ein Augustiner-Chorherrenstift gegründet, das bald nachher die Deutschen Ordensherren nach Vertreibung der Chorherren in einen Meierhof verwandelt, nachdem die Verhandlungen in der Thomaskirche zu Leipzig resultatlos geblieben, auf dem Tage zu Halle in der Marienkirche beigelegt worden, indem von Seiten des D. Ordens das diesem zustehende Patronatsrecht zu Pulsnitz zur Entschädigung an den B. Bruno abgetreten worden sei.*

E. dei gratia Merseburgensis episcopus et P. novi operis in Halle praepositus, iudices a sede apostolica delegati, omnibus hoc scriptum inspecturis salutem in perpetuum. Noverint universi, quod cum nos una cum collega nostro piaae memoriae C. de Siche quondam Halberstadensi episcopo causam, quae vertebatur inter venerabilem B. Misnensem episcopum ex parte una, et H. magistrum et fratres de domo Teutunicorum ex altera super reformatione monasterii in Borsendorff<sup>a)</sup> a sede apostolica suscepissemus iure canonico terminandam, nos partes ut debuimus legitime citavimus, locum eis in ecclesia beati Thomae in Leipz primitus assignantes, ubi cum Misnensis episcopus personaliter compareret, et quidam fratrum de domo Teutunicorum cum literis procurationis ex parte altera, idem episcopus monasterium in Borsendorff, quod de consensu heredum suorum et auctoritate Moguntinensis archiepiscopi loci dioecesanii in praedio suo ita fundaverat, ut ibidem essent canonici regulares deo servientes, quos praefati fratres de domo Teutonica sine sua conniventia eiecerant, et ut videbatur monasterium in grangiam converterant, cum loci esset patronus, petebat in statum pristinum reformari. Super quo cum aliquamdiu fuisset litigatum, tandem diem alium et locum eis in Halle in ecclesia beatae Mariae praefiximus. Ubi cum partes plenius instructae coram nobis apparerent, nos ut debuimus vias pacis attentavimus, et sic tandem de voluntate et consensu partium statuimus, ut quamvis sine consensu Misnensis episcopi locus in Borsendorff ad fratres de domo Teutonica translatus fuisset, quia tamen de voluntate et mandato dioecesanii episcopi factum erat, B. episcopus Misnensis pro iure patronatus, quod solum in Borsendorff habebat, ius patronatus ecclesiae in Pulsnitz<sup>b)</sup>, quae in sua dioecesi sita est, reciperet a fratribus memoratis, et sic commutato iure patronatus in Borsendorff fratres de domo Teutonica plenum ius nullo reclamante ibidem nostra et sedis apostolicae auctoritate retinerent. Itaque dictus episcopus ordinationem domini Moguntini circa saepe dictum coenobium coram

a) Porstendorf an der Saale, Par. Nerkewitz, Diöces Dornburg im Grossherz. S. Weimar-Eisenach. b) Pulsnitz, Stadt in der K. S. Oberlausitz.